

Leonardi Holzhalbii, [...] dissertatio historico-apologetica pro oraculis gentilium, Christi nativitate non obmutescentibus

Autor(en): **Holzhalbius, Leonardus**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - **(1751)**

Heft 24

PDF erstellt am: **27.06.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-394710>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

LEONARDI HOLZHALBII,

Hist. Prof. Publ.

Disertatio Historico-Apologética

pro

Oraculis Gentilium, Christi Nativitate
non obmutescantibus.

§. I.

Quemadmodum inter multa & varia rerum genera, quæ bona mortales existimant, nihil majus & præstantius, nihil nobilius & dignius, nihil etiam utilius hominum generi a Deo Ter Optimo Maximo datum esse RELIGIONE, omnes, quibus de meliore luto finxit præcordia Titan, una voce testantur, ita cum omnium ad æternam salutem consequendam plurimum referat, Religionis Christianæ veritatem, divinam originem, præstantiam atque excellentiam extra omnem dubitationis aleam positam esse, de universo hominum genere præclare semper meriti sunt, & indies bene merentur, qui invictis eam & solidis, & omni exceptione majoribus argumentis demonstrare, & contra adversariorum molimina vindicare aggressi sunt, hodieque aggrediuntur: Quorum tanta est copia, ut, si non omnium, sed præcipuorum in hoc genere evolvere, atque enarrare scripta velimus, desinat ante dies, quam consequamur omnia dictis.

§. II.

§. II.

Quemadmodum autem in vita humana contingit sæpius, ut quæ nobis videntur rariora, nec publici saporis argumenta ponderaque rerum, maximi ea faciamus & extollamus, plane ut magis vulgo ignota illa medicamenta arrident, quæ a circumforaneis publicis in nundinis, voce stentorea, gestibusque mimicis circumferuntur, atque pro optimis & præsentissimis omnium malorum remediis venditantur, commendanturque; ita etiam in delectu argumentorum pro veritate & divinitate Religionis Christianæ demonstranda vindicandaque sæpenumero fieri solet, ut qui iudicio minus præditi, eo superstitioni magis, a paucis Scriptoribus pro veritate Religionis Christianæ ex Gentilismo desumptas rationes auribus animisque avidissimis excipiant, & aliis quibuscunque, majore licet præstantia & soliditate sese commendantibus, utut a Viris cordatioribus dudum explosas atque enervatas, quam longissime præferant. Videtur illud experta Ecclesia in argumentis ex Gentilismo desumptis, quibus Viri alias doctissimi veritatem Religionis Christianæ demonstratum iverunt: Videtur in iis, quæ *de Oraculis Gentilium* in medium protulere, ad illustrandum stabiliendumque inprimis magnum illud, & supra humanæ rationis cancellos positum *nativitatis Sanctissimi Soteris nostri mysterium*. Quamprimum enim a Scriptoribus quibusdam & Ecclesiasticis & profanis, nescio quo fato, memoriæ proditum est, omnia illa, vel saltem pleraque, eaque nobilissima *Gentium Oracula nativitatis Christi tempore obmutuisse*, adductis in hanc rem ipsis Oraculorum responsis, & confessione ipsorum Gentilium,
fuere

fuere protinus, qui ipsum hoc silentium ad majorem Religioni Christianæ gloriam auctoritatemque conciliandam, confirmandamque certitudinem nati Servatoris eminentissimi, avidius arripere: Quod quo jure, quave injuria ab ipsis factum sit, hac Disertatiuncula breviter declarabo.

§. III.

Ita autem in animum induxi meum, primum argumenta Celeberrimorum Virorum, qui *Gentilium Oracula tempore natiuitatis Sanctissimi Soteris nostri obmutuisse* contendunt, ad examen revocare; deinde de *duratione illorum post Christum natum* dicere, & denique pauca *de eorundem silentio* addere, ex quibus constabit, decantata illa atque celeberrima veterum Gentilium Oracula multis demum annis post Christum natum, postquam regnum ipsius inter Gentes stabiliebatur, penitus extincta fuisse.

§. IV.

Qui *Gentilium Oracula nascente Christo obmutuisse* asseverant, omnes lacertos movent, ut necessitatem silentii hujus extorqueant, dicentes, *quæ in N. T. impleta sunt, ea omnia in veteri solidissimo fundamento superstructa, & nunc jam adfuisse tempus, quo ora mendacii obmutescerent, neque alia ratione melius Judæos pariter atque Gentiles de veritate Religionis Christianæ in genere, in specie de adventu Christi in mundum potuisse convinci.* At quis necessitatem silentii Oraculorum Gentilium ex V. T. demonstraverit, in quo nullum apertum vaticinium, nullum pro hoc silentio circa tempora nascentis Christi apertum testimonium, immo vero altissimum silentium? Ponamus etiam, omnia illa, vel ple-
raque

raque nobilissima Gentilium Oracula tum cessasse,
 omnesque narrationes, quæ hac de re in medium
 afferuntur, veritati esse quam maxime consenta-
 neas, quod tamen falsissimum esse postea demon-
 strabo, quem in finem omnia illa patrasse Deum
 existimemus? Nempe, ut & Judæi & Gentiles
 superstitionis tenebris plane cimmeriis obvoluti,
 rejecta omni machinatione diabolica de veritate
 Religionis Christianæ persuasissimum haberent ani-
 mum: At quis tales illos tempore nativitatis San-
 ctissimi Soteris nostri fuisse affirmaverit? Ubi tum
 pura illa, nulloque errorum veneno imbuta Re-
 ligio? Non Hierosolymis certe, quam Deus ur-
 bem ex omnibus in toto terrarum orbe cultui
 suo destinaverat, destinatam omnem suam volun-
 tatem Amanuensium suorum opera docuerat,
 doctamque peculium sibi & ornamentum regium
 esse voluerat: Ea enim magis magisque a pristinae
 Religionis suæ sanctitate atque integritate disce-
 dens, innumera errorum genera foverat: Vel qua-
 les tum præstantissimi illi scilicet Sacrorum Anti-
 stites, Pharisei, qui speciem pietatis obtendentes,
 & severum plane vitæ genus præ blandissimis
 mundi voluptatibus eligentes opinionum suarum
 virus indoctæ plebis animis instillarunt, fastu us-
 que adeo tumescentes, ut sputum suum rem san-
 ctam esse, sibi aliisque persuadere voluerint?
 Quam detestabiles famosissimæ illæ Sadducæorum
 Essæorumque Sectæ, qui sparsa in populum Dei
 erroneæ suæ doctrinæ quoquoversum stribligine,
 Religionem illam sanctissimam Judæorum corru-
 ptam admodum fuisse, evidentissime probant?
 Quod si definito illo tempore mendaciæ ora ob-
 mutescere voluit Deus, cur eventus voluntati di-
 vine

vinæ non respondit? Cur tot Religionis Christianæ impedimenta, tot hæreses, tot calumniæ, tot dæmonis, mendaciis animos hominum adversus salutarem Christianorum doctrinam præmunientis, non simul cessarunt machinæ? Cur ipsi Pharisæi, Sadducæi, Essæi, alique ex principibus populi Judaici Religionem Christianam adeo amplexi non sunt, ut in erroribus pestilentissimis contumaciter perseveraverint?

§. V.

Non illo sane, neque uno tempore, sed per successionem clausa Deum voluisse mendacii ora, cum doctrina Evangelii per totum terrarum orbem annuntiata, nihil plane haberent, quod obgannirent mendaciorum mancipia, ex Sacra Scriptura & Historia Ecclesiastica abunde constat. Utebatur primo Deus opera Apostolorum, qui Spiritu Sancto afflati mendaciorum ora efficacissime reprimerent. Quin ipsos primos Christianos impactas sibi a Gentilibus calumnias inculpato vivendi genere, & sanctissimis moribus diluisse, admiranda illos constantia sua in stuporem conjicientes, notissima illa Plinii ad Trajanum epistola libri 10. 97. cedro lectuque dignissima, satis est testimonii. Sequenti demum tempore excitatis Viris & animi integritate, & multiplicis eruditionis prudentiæque apparatu instructis, qui vanitatem cultus idololatrici, & falsitatem, obscuritatem, sceditatemque oraculorum vivis delinearent coloribus, sensim ea neglecta & abolita sunt; Scholis etiam Christianorum, quarum celeberrima olim Alexandrina erat, suppetias ferentibus.

§. VI.

§. VI.

Quod si præterea Oraculorum Gentilium silentio Judæi pariter atque Gentiles de veritate Religionis Christianæ in genere, in specie vero de magno illo incarnationis Sanctissimi Soteris nostri mysterio optime convinci potuere, qui factum quæso, ut Apostoli in suis sermonibus hoc argumento non uterentur? Non Petrus, qui in celeberrima illa Oratione Pentecostali unum illud egit, ut Christum esse Messiam Judæos validissimis rationibus convinceret, ad accuratissimum vaticiniorum V. T. eventum, ad Christi sermones, facta, miracula, passiones acerbissimas, exaltationem gloriosissimam, nusquam ad Oraculorum circa ejus nativitatem silentium provocavit? Non Paulus, cui cum Atheniensibus, Ephesiis, aliisque gentilium *δεσποταμνοεσάτων* res fuit? Non reliqui Christi comites, testesque laborum? Non Viri Apostolici, Petrinæ omnes methodi imitatores laudatissimi, strenuissimique? Quis denique apud Judæos Gentilium Oracula in aliqua fuisse existimatione dixerit, ut eorum sive responsis, sive silentio flecti potuerint, qui ne divinis quidem illis & cœlestibus flectebantur? Quis etiam Gentilium animos, quorum tota Religio ex specioso & magnificentissimo cultu conflata erat, adduci ad amplexanda Christiana sacra pueruli in statu vilissimo, stabulo sordidissimo, nativitate, citra divinum lumen, & sine aliquo doctore, qui causas abjectissimæ conditionis explicaret, potuisse, sanus crediderit, de quibus in Sacris Paginis nec vola, nec vestigium? Quis advolasse ad illius cunas, nisi primitias Gentium, illos ab Oriente ætherea luce collustratos Magos?

§. VII.

§. VII.

Hac occasione mirari subit, fuisse nihilo minus Virum aliquando doctissimum, qui contenderet, silentium Oraculorum Gentilium fuisse χειραγωγίαν divinæ gratiæ, quæ desiderium pueri illius Hebræi in Gentilium cætera curiosorum animis accendere voluerit. Quid enim, si cum Oeconomia salutis pugnare dicamus? Tota salutaris de Christo Servatore nostro doctrina nondum tradita erat, nondum Christus voluntatem Patris sui mundo annuntiaverat, nondum passus, nondum morte obita sepultus, nondum ut Servator consummatus ad summam illam gloriam evectus fuerat, nondum præsentem erant Apostoli, præstantissima illa divinæ convertentis gratiæ instrumenta, & quæ alia sunt. Quæ ergo Gentilium ante hæc tempora χειραγωγία illa? Qua illorum animi, obscurissima ignorantia, & stultissima superstitione fascinati, tangi curiositate potuerant, ut Christianorum sacra explorarent? Apage illam Oraculorum circa nativitatem Sanctissimi Soteris nostri excidendorum jactatam necessitatem! Aliis longe uti auxiliis divinæ sapientiæ visum fuit, prætermittis scilicet ignorantia funestissimis temporibus per sonoras Apostolorum tubas denuntiari omnibus ubique hominibus, ut ad frugem redirent, jubenti.

§. VIII.

Et quid ipsa exempla, quæ pro Oraculorum silentio illo scilicet tempore facto in medium proferre solent auctores quidam Ecclesiastici & profani? Ne talitri quidem. Vel quid nobilis illa & decantata, quam primo loco afferunt, de Augusto præstantissimo Romanorum Imperatore historia,
vel

vel fabula potius, qui cum Delphicum Apollinis Oraculum, toto orbe celeberrimum, consulisset, post diuturnum silentium elicuisse tandem responsum,

(Παις) Ἐβραῖος κελεύει με Θεοὶς μακαρίσσειν ἀνάσσειν
 Τὸν δὲ δοκὸν προλιπεῖν καὶ αἰδὴν αὐθις ἠκεῖσθαι
 Λοῖπον ἀπιθι σιγῶν ἐκ βωμῶν ἡμέτερων.

Me Puer Hebræus, divos Deus ipse gubernans,
 Cedere sede jubet, tristemque redire sub orcum;
 Aris ergo dehinc tacitus discedito nostris:

eoque audito Romam reversus aram in Capitolio, Primogenito Dei inscriptam extruxisse perhibetur. Narrarunt hanc, (quanquam non in omnibus ejus editionibus extet,) historiam *Eusebius* ex *Africano* quodam incertæ auctoritatis, ex *Eusebio Suidas*, *Syncellus*, *Cedrenus*, *Nicephorus Callistus*, sublestæ fidei fabulatores monachi, & ex his famosus ille annalium Ecclesiasticorum conditor *Baronius*. Alii aliter oraculi verba decantarunt, manifesto incertitudinis commentique, *Scaligero* & *Isaaco Casaubono* acri & incorrupto judicio præditis viris, indicio, vel hinc magis sese prodentis, quod Augustum præstantissimum Imperatorem post profectionem illam in Græciam annis ante natalem Christi circiter viginti Romam reversum, in istas regiones nunquam rediisse, historiarum monumenta declarant. Addo, quod præcipuum est, quod primitivæ Ecclesiæ Patres vetustissimi, *Justinus Martyr*, *Tertullianus*, *Theophilus*, *Tatianus* aliique hæc penitus silentio transierint, utut omnia, quæ ex Gentilium actis pro veritate & divinitate Religionis Christianæ afferri poterant te-

stimonia, majori aliquando zelo quam judicio arripuerint. In eandem mecum sententiam discedit eruditissimus & celeberrimus *Basnage*, cujus in *Annalibus Politico-Ecclesiasticis* verba memoratu dignissima sunt: *Nos hanc fabulam illudimus, ne vel levi quidem verisimilitudinis umbra conditam. Quis enim sibi fingat animo, tanti pro firmanda fide Christiana ponderis argumentum a Justino Martyre, Tertulliano, Eusebio, Constantino non fuisse adhibitum, si Oraculum ejusmodi editum esset, aut Ara Primogeniti ab Augusto in ipso Capitolio posita? Ex veterum profundissimo de ea traditione silentio liquido constat, eam ex recentiorum Græcorum officina prodiisse.*

§. IX.

Nec me movet, quem ex Ciceronis de Divinatione libro I. fabulæ hujus architecti afferunt, locus. Sic vero ille: *Defendo unum hoc; Nunquam illud Oraculum Delphis tam celebre, & tam clarum fuisset, neque tantis donis refertum omnium populorum atque Regum, nisi omnis ætas Oraculorum illorum veritatem esset experta. Jam diu idem non facit. Ue igitur nunc minore gloria est, quia minus Oraculorum veritas excellit; sic tum, nisi summa veritate in tanta gloria non fuisset. Quis enim est, qui non videat, Ciceronem dicere velle, Oraculum Delphicum antea summis mactatum honoribus, propter veritatis famam amissam contemni, non vero plane cessare, & obmutescere? quanquam Ciceronis ætate per aliquod tempus belli scilicet Cæsarem inter & Pompejum gesti, Delphicum Oraculum siluisse, vix sinat ire inficias *Lucani* illud:*

. . . Non ullo secula dono

Nostra carent majore Deum, quam Delphica sedes
Quod

*Quod siluit, postquam Reges timere futura
Et superos vetuere loqui . . . (*)*

Nimirum sive ob motus Reipublicæ ipsum etiam turbantes, sive ob alias causas per annos aliquot tacuerat, eo tamen tempore, quo Cicero libros suos *de Divinatione* scripsit, responsa iterum reddidit Oraculum. Quinimo ipsum Ciceronem, cum ante pugnam Pharsalicam consultum iret Apollinem, qua potissimum ratione summam gloriam consequi posset, iussit, ut suum ipsius ingenium, non vulgi existimationem sequeretur.

§. X.

Nec eorundem Oraculorum silentium evincit Ciceronis quæstio: *Quod caput est, cur isto modo jam Oracula Delphis non eduntur, non modo nostra ætate, sed jam diu, jam ut nihil possit esse contentius? quanquam doctissimus Mornæus in aureo de veritate Religionis Christianæ libro hinc inferat, Ciceronem etiam suis temporibus, quæ tam accurate descripserat, Oracula ubique defecisse testari: Magnum enim illum Eloquentiæ Prudentiæque Romanæ principem, qui paulo ante: Quis est, qui credat, Apollinis ex Oraculo Pyrrho esse responsum:*

Ajo te Æacida Romanos vincere posse?

Primum Latine Apollo nunquam locutus est: Deinde ista fors inaudita Græcis est? Præterea Pyrrhi temporibus jam Apollo versus facere desierat; non jam, cur obmutuerit Apollo, sed cur isto modo, cur numeris versuque responsa non amplius edat, in-

Ss 2

terro-

(*) Pharsal. V. 112. . 116.

terrogare, tam clarum est, quam Sol cum splendet maxime; plane ut *Plutarchus* ansam inde conscribendi libri, cui titulus: *Cur Pythia desierit versibus uti?* arripuisse videatur. Quod si autem uti illis cessarat, unde quæso, quod de puero Hebræo carmine heroico effata fertur?

§. XI.

Addunt præterea, qui a nobis dissentiunt *Juvenalem* Satyra VI. canentem :

. . . Quoniam Delphis oracula cessant,
Et genus humanum damnat caligo futuri.

At neque sic quicquam efficiunt. Quid enim vatem illum facundissimum cecinisse aliud, nisi quod sua ætate factum est, existimemus? Nimirum per tempus Neronem inter & Domitianum interjectum profundum Oraculi Delphici secutum fuisse silentium, vel ex *Dione Cassio* constat, quod nec suæ parcens Religioni Nero, omnium Imperatorum crudelissimus, locum illum, unde Oracula peterentur, deleverat, Apollini iratus, quod molestum sibi atque grave responsum dedisset. Unde obliato quasi fonte Oraculorum in Bœotia, quæ olim illorum sedes erat, alia minoris conditionis simili modo vacabant Oracula, de quibus *Plutarchus* in libello, qui inscribitur: Περὶ τῶν ἐκλελοιπότων χρησθησίων agit, quanquam doctissimus & celeberrimus *Casaubonus* solam Leobadium restitisse, unde sortes peterentur, affirmet. Quid igitur nisi summam non in *Baronio* tantum, (cum celeberrimo *Molinao*), sed in omnibus ἀβλεψίαν statuamus, qui paulo ante Christi nativitatem Ora-

culum

culum Delphicum plane conticuisse, nec responsa dedisse, contendunt?

§. XII.

Imo vero tantum abest, ut ad secundum tractationis membrum accedam, ut vel decantatum illud Delphicum, vel alia Gentilium nobilissima Oracula Christo nascente obmutuerint; ut ultra Constantini M. tempora, quid dico? ad Theodosii usque ætatem, quantumvis per intervalla, & sensim deficientium sese duratio, consuetudo, abusus per IV. propemodum secula extendant, nec nisi tenuissimum inter ea, quæ nativitatem Sanctissimi Soteris nostri antecesserunt, & quæ illam consecuta sunt, discrimen ab iis sit observatum, qui ex professo, vel *ὡς ἐν παροδῷ* quædam de illis conscripserunt, utut sibi non semper constantes sint: Quod scilicet non amplius tam frequenter fuerint consulta, & per vicissitudines modo conticuerint, modo veluti postliminio sermonis usum receperint. Ipsum illud Oraculum Delphicum præ cæteris omnibus cultu, Religione, fama, opibus, donariis denique celeberrimum, quot passum mutationes! Augustis Augusti Imperatoris temporibus modo siluisse, modo vocem edidisse ad Neronem usque, compertum est; Neronem imperantem monuisse refert Suetonius, candidissimus Scriptor, *septuagesimum ac tertium annum ut caveret; eumque quasi eo demum obiturum, ac nihil conjectantem de ætate Galbæ, septuagenario majoris, & ablaturo sibi imperium, tanta fiducia, non modo senectam, sed etiam perpetuam singularemque concepisse felicitatem, ut amissis naufragio pretiosissimis rebus pisces sibi eas relatueros, inter suos dicere non dubitaverit.* Inde a Neronis tempore hæsisse ad fau-

ces veluti linguam, sub Domitiano solutam, iterum, auctor est Philostratus. Postea sub Trajano a dracone scemina obsessum illud *χρησιμίων*, quæ Apollinis interceperit orationem, Hadrianum idem dein consulentem satis intricatum tulisse responsum, *Plutarchus* & *Dio Chrysostomus* auctores sunt. Quid de eo Antoninorum temporibus fuerit, ex Thyanaei sacerdotis, quam Lucianus habet, interrogatiuncula constare videtur. Sic illa: *Reliquæ sortes, quæ in Didymæo, Claro, Delphisque redduntur, utrum ab auctore proficiscantur Apolline, an mendacia sint, quæ illic nunc redduntur Oracula?* Defunctis Antoninis cum Septimius Severus, Pescennius Niger, & Clodius Albinus de regno inter se certarent, Apollinem summo Reipublicæ periculo interrogatum:

Optimus est Fuscus, bonus Afer, pessimus Albus.

respondisse *Spartianus* memorat. Postrema quasi voce respondisse Juliano, qui expeditionem in Persas suscepturus ad Delphicum, ad Dodonæum, ad alia misisse *χρησιμίων* de successu sciscitatuos fertur, ut Licinio Didymæum seculo quarto.

§. XIII.

Sed & eandem reliquorum pene omnium fuisse rationem, annales docent, quorum nonnulla ad Delphicum usque, vel etiam ultra illud durationis suæ terminos extendisse videntur. Eandem Didymæi, Dodonæi, Colophonii; eandem illorum, quæ post natum Christum in ipsa Italia, prope Romam, & in ipsa urbe Roma visebantur, *Suetonio*, *Propertio*, *Martiali*, *Valerio M.*, *Tacito*, *Plinio juniore*, aliisque rerum Romanarum florentissimis

tissimis Scriptoribus toties commemorata; ne de inscriptionibus Romanis dicam, quas post *Aldum* & *Smetium Gruterus* in eximio thesauro adjuvante *Scaligero* in maximum politionis litteraturæ emolumentum edidit; Eandem denique sortium *Homericarum*, *Virgilianarum*, *Prænestinarum*, *Tiburinarum*, *Antiatarum*, *Patavinarum* aliarumque sortem, de quibus post innumeros Scriptores excellentissimus atque eruditissimus *Dalæus* ex professo agit. Et quis omnium illorum numerum, quis mera nomina, quis durationem ultra Sanctissimi Soteris nostri tempora enarrare vellet?

§. XIV.

Si causas durationis illorum longioris inquiremus, non una se offert, neque mirandum valde, diu adeo usum illorum retentum fuisse, ut ne Christianis quidem Augustis imperantibus excisa protinus atque elinguata fuerint. Nondum scilicet tempus aderat, utut sparsis jam per orbem Evangelii clarissimis radiis, quo præstigiis hisce imponere finem divina providentia constituerat: Quæstus vero uberes & magni, qui ad Oraculorum redibant Sacerdotes, hi homines versuti, & ad fraudem affabre facti, fingendi artifices callidissimi, & in nectendis machinis fruendisque dolis plane admirabiles erant. Eorum proinde labor erat, ut rem suam facturi blandimentis, illecebris, somniis, quantum pote, in vitium credulæ multitudinis animos fascinarent; Gentilium autem immensus numerus erat, qui in imperio Romano, & extra illud, in provinciis & regnis Imperio vectigalibus Gentilismo ejusque pravis & stultis superstitionibus attinebatur. Erant præ-

terea Proceres Imperii Romani in Oriente & Occidente Gentilismum aperte profitentes, quorum exemplo subnixus populus Romanus tanto audacius sacra peragebat: Erant, qui rejecto idolorum cultu ad Ecclesiam Christianam sese aggregaverant, alii autem ob rationes politicas conniventes, Gentilibus sacra sua publice peragendi, susque deque habitis superiorum Imperatorum edictis, facultatem facerent, irrito minus & faciliore successu sub Monarchis, qui aut bellis civilibus & externis impliciti, aut immergi voluptatibus, vel blandimentis aulicis deliniti, minus cognita Religionis Christianæ præstantia, neque suas, neque Prædecessorum suorum leges satis curabant, neque quo oportebat studio ferventi, & pœnis, delinquentes coërcebant: Erant inter ipsos Imperatores alii Gentilismi sacris addicti, alii Religionem Christianam amplexati quidem, sed qui Gentilium cum procerum, tum plebejorum insolentia, potentia, metu deterriti superstitionum hos fontes non obstiparunt, veriti, ne eorum auxilio in retinendo tutandoque adversus hostes imperio, cujus maximam illis partem debebant, sibi carendum esset, aut infensis exacerbatisque animis abrogatum male mulctatis imperium in alios transferrent, quod levioribus de causis sæpenumero factum, non poterat non frequenter ob oculos versari.

§. XV.

Supereſt, ut de *Silentio Oraculorum Gentilium* aliquid addam. Multum jam de Oraculorum auctoritate sub patre Constantini M. Constantio decesserat: Splendefcebat magis magisque Evangelii jubar: Emerferant Oraculorum fallaciæ, labefactum

tum Delphicum etiam, ipso Apolline, si Eusebio fides est, ridicule confesso, justos homines subterraneos impedire, quo minus vera dicere posset, falsa reddens ex Tripode: Tum vero omnibus laudum præconiis superior Christianus ille Imperator primus, & M. Constantinus, omni virium conatu id egit, ut Imperium Romanum vero veri Dei cultu exornaretur, & amplificatis Christianorum rebus Gentilium sacra abolerentur: Edicto quoque publico permisit, ut Delphicum templum per Christianos spoliaretur, quo factum est, ut Apollo obmutescens omnium risui atque ludibrio exponeretur. Præterea Deorum cultu victimisque interdicere, & consultum venientes Oracula aditu excludere, & templa ipsa, quod tam nefaria scelera in iis admitterentur, ut tolerari amplius non possent, destruere, & simulacra Deorum in locis publicis ad ornatum urbis Constantinopolitanæ proponere, & Tripodas Delphicos in ejusdem civitatis circo quasi signum manubiarum Dæmoni ereptarum publicare jussit: Persecuti sunt paterna vestigia filii ejus inprimis Constantius fortiter: Persecuti sunt eadem extincto Juliano, sub quo Paganismus repullulascere cœperat, sed impari successu Jovinianus & Valentinianus. Inprimis autem Theodosius M. magno & heroico conatu Gentilismum excisurus iter Romam suscepit, consilium suum ita fortunante Deo, ut Deorum imagines templis ejicerentur, iidemque publice coli prohiberentur; frustra Zosimo Romanam eo tempore civitatem omnis generis mala pressisse Diis injuriam sibi illatam ultum euntibus clamitante; frustra Symmacho Gentilium sacra passim in contemptum venire indignante, frustra quoque Valentinianum, Theodosium, Arcadium obtinente, ut privilegia Vestalibus, & Victoriæ ara

in Capitolio restituerentur, quod fortiter illi divus
 sese Ambrosius opposuerat, & cum ignominia
 Roma ejecto: Valentinianus III. denique mortis
 & exilii pœnam iis denuntians, qui Gentilium
 Diis sacra facere pergerent, feralem Paganismo,
 ad quem radicitus extirpandum toto animo fere-
 batur, ictum inflixit.

§. XVI.

Neque adeo prius Gentilium Oracula defece-
 runt, quam cum doctrinæ Christianæ splendore
 latissime disperso, spissisque ignorantiae tenebris
 penitus discussis, primum contemni, deinde de-
 seri, post spoliari cœpissent, ut pro eo, ac reg-
 num Christi inter Gentes stabiliebatur, aliud alio
 tempore extinctum, ipsis Christianis imposturas,
 crimina, insolentias sacerdotum, Oraculorum
 fraudes, obscuritatem, incertitudinem, vanita-
 tem, falsitatem detegentibus; ipsis etiam Gentili-
 bus magis magisque perspicientibus; ipsis Philo-
 sophorum Græcorum Sectis illorum cultum risui
 ludibrioque omnium exponentibus; ipsis insuper
 Imperatoribus non sine magno damno ambigui-
 tatem eorum expertis, blandisque eorum verbis
 allectos ad imperium multos malis artibus enixos;
 expertis, sacrificulos per Oracula fascinantes or-
 bem, Religionem quæstui habere. Ita tandem
 factum est, ut vel Romani ea vilipenderent, Chri-
 stiani detestarentur, atque una cum Paganismo
 abolerent. Ita silebat fons Castalius, alique si-
 militer perierunt fontes divinatorii, ob fastum sa-
 ne inanes: Ita siluerunt Oracula Gentilium cele-
 berrima, non eclipsin, sed stragem internecinam
 passa. Utinam ab orco revocata inter Gentes
 cimмериis vel hodie tenebris immerfas quoque
 obmutescerent!

FINIS.

ARGU-